



11
1
2
2.
3
4
1
1
2.
3.



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
OBLIGATIONE UXORIS
AD
SOLVENDA DEBITA

A
CONJUGIBUS CONTRACTA,
MOTO INPRIMIS SUPER BONIS MARITI
CONCURSU CREDITORUM.

1785, 1.

8

P. 393

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE ET DOMINO
DOMINO

C A R O L O

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE,
REL. REL.

CONSENTIENTE ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM ORDINE
P R Æ S I D E

CHRIST. GOTTLIEB GMELIN,

JURIS UTRISQUE DOCTORE, SERENISSIMI CONSILIARIO,

ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO

D. XXII AUG. MDCCLXXXV.

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CHRISTIANUS HENRICUS SCHMID,

MAGISTRATUI CIVITATIS URACENSIS AB EPISTOLIS.

TUBINGÆ, LITTERIS REISSIANIS.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK
LEIPZIG
VERMISCHT
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800





INTROITUS.

A. Jus commune.


- §. I. Uxor ad debita mariti solvenda nunquam obligatur,
- §. II. Ejus etiam intercessio pro marito invalida.
- §. III. Nisi in dolo sit, vel legitime renunciaret;
- §. IV. An renunciatio jurato & judicialiter fieri debeat?
- §. V. vel nisi pecunia in rem uxoris versa sit.
- §. VI. Quando & quomodo uxor in casibus exceptis obligetur?
- §. VII. De intercessione dissimulata, & de casibus, ubi uxor, quia non intercedit, obligatur,
- §. VIII. Uxor ad debita, quæ ipsa contraxit, solvenda obligatur,
- §. IX. & ad ratam suam debitorum communium, nunquam licet correaliter se obligaverit, in solidum; nec in partem, si in utilitatem solius mariti contractum,
- §. X. Probatio versionis in rem uxoris incumbit creditori.
- §. XI. de restitutione uxoris contra obligationem ex debito cum marito contracto.

B. Jus Germanicum.

- §. XII. De necessitate curatoris sexus.
- §. XIII. De uxore mercatrice.
- §. XIV. Diversitas communionis bonorum inter conjuges.
- §. XV. De obligatione uxoris in communiione universali.
- §. XVI. De beneficio uxoris renunciandi huic societati.

A 2

§. XVII.

- 
- §. XVII. Casus, in quibus hoc beneficium cessat, ob prodigalitem uxoris & renuntiationem.
- §. XVIII. Ejectus denegati hujus beneficii.
- §. XIX. Obligatio in communione acquæstum quoad debita conjugum propria.
- §. XXI. De intercessione conjugis pro debito proprio alterius conjugis.
- §. XXII. Quid debita socialia?
- §. XXIII. Obligatio conjugum, prout vel maritus vel uxor vel uterque ea contraxit.
- §. XXIV. Quomodo conjuges obligentur ex debito sociali?
- §. XXV. De correali conjugum obligatione pro debito sociali.
- §. XXVI. De probatione qualitatis socialis debiti.
- §. XXVII. De beneficio uxoris renunciandi acquæstui conjugali, ejusque effectus.
- §. XXVIII. Creditor præter qualitatem debiti socialis, uxoris expressam quoque obligationem probare debet.
- §. XXIX. Uxori vero defensio & reprobatio concedenda.
- §. XXX. Requisita admissionis ad beneficia muliebria.
- §. XXXI. De amissione eorum ob uxoris prodigalitem.
- §. XXXII. Effectus amissionis eorum.
- §. XXXIII. Amissio eorum propter renuntiationem.
- §. XXXIV. Propter statum femine mercatricis.
- §. XXXV. Propter aditam mariti hereditatem.
- §. XXXVI. Propter surreptionem vel amotionem rerum mariti vel communium.
- §. XXXVII. Amissio beneficiorum intuitu certorum creditorum.
- §. XXXVIII. Aliquæ observationes.
- §. XXXIX. De concursu creditorum super bonis uxoris.
- §. XL. De eodem super bonis utriusque conjugis moto.

Vix



Vix unquam hodie processus concursus oritur super bonis debitoris, in conjugio viventis, in quo non simul lites plures & controversiæ de obligatione uxoris ad solvendum aut omne æs alienum, aut hæc illave credita, excitentur, ut igitur nil minus quam hoc metuum, de utilitate aut frequenti thematis propositi usu quæstionem mihi moveri. Eadem potius frequentia litium super obligatione uxoris quotidie motarum ratio est, quod thema hoc intricatum, & sæpius male intellectum, singulari dilucidatione præ aliis dignum crediderim; Varietates casuum hic occurrentium tantæ sunt, ut præcipuus labor in hoc opere sit, diversas species æris alieni, diversa illa fundamenta, ex qui-

A 3

bus



bus obligatio uxoris deducitur, probe secernere, & distinguere, singulosque casus diversos ex justis legum principiis explicare. Producentur in concursibus creditorum debita a marito solo, debita ab uxore sola, & debita ab utroque contracta; aliter quæstio de obligatione uxoris ex juris Romani, aliter ex juris Germanici principiis decidenda; aliter in locis, ubi universalis omnium bonorum, aliter ubi acquæstum communio inter conjuges obtinet; & his in locis multum adhuc refert, an debitum quoddam in utilitatem societatis conjugalis, an simpliciter & absque respectu ad hanc societatem contractum fuerit; sunt porro casus, in quibus uxor ad omne æs alienum solvendum, sunt alii, in quibus ad certum quoddam genus æris alieni, sunt denique alii, in quibus plane non, vel ad unum tantum alterumve debitum solvendum ex specialibus causis obligatur; sunt denique casus, in quibus uxor ea quæ solvit, a marito ejusve massa repetendi jus habet, sunt alii casus, in quibus eodem jure destituitur.

§. I.

Ut diversos casus, in quibus uxor æri alieno solvendo obstricta est, accuratius enodemus, præmittere oportet principia



cipia juris generalia, quibus hæc doctrina innititur. De jure communi Romano constat, nullam fuisse inter conjuges bonorum communionem, sed obsoleta in manum conventionem suam utrique conjugi nisi expresse societatem iniissent a), bona separata fuisse, uxorem vero marito ad onera matrimonii sustinenda dotem intulisse. Hoc igitur jure, sicuti nemo ad debita aliena solvenda, ita nec uxor ad debita mariti sive ex contractu, sive ex delicto orta, solvenda obligatur b); nec refert, quod in communem familiæ utilitatem, ad alendos liberos, imo ad alendam ipsam uxorem debita contracta fuerint c); cum marito, cui ad onera matrimonii sustinenda dos illata fuit, hoc onus sustentandæ familiæ soli incubuerit. Eadem & hodie absque dubio obtinent iis in locis, ubi, nulla inter conjuges obtinente bonorum communione, principia juris Romani pura servantur, vel & iis in locis, ubi acquæstum inter conjuges communio obtinet, ast de debito conjugis unius, societatem conjugalem nullo modo respiciente sermo est d).

§. II.

Quamvis autem pro debito alieno per varias species intercessionis aliquis specialiter se obligare possit, velut constitu-

- a) l. 16. §. ult. D. de alim. leg. l. 17. §. 1. D. solut. matr.
- b) l. 1. l. 2. C. ne uxor pro marito conveniatur. GAIL. l. 2. obs. 90. n. 1. MEIER. D. de mariti, executione in rem dotalem facta intervent. cap. 3. §. 10.
- c) l. 22. §. 8. D. solut. matr.
- d) *Coff. Fac. Tub. Vol. II Conf. 2. n. 16. sqq.* SCHOEFF. *Thef. in-ang. ex jure prov. March. Bad. Badens. th. 6. p. 30. Dec. 2. n. 1. sq. Dec. 65. n. 28. sq.*

✻

tuendo, fidejubendo, correum se profitendo, expromittendo, fuave bona oppignorando, uxor tamen pro marito nunquam valide intercedit, ideoque quocunque modo intercesserit, ad solvendum mariti debitum non obligatur e); idque non solum ob prohibitionem S^Cti Vellejani, quo generaliter omnis feminarum intercessio, nisi post biennium repetita invalida declaratur, sed & ex speciali prohibitione famosæ authenticæ si qua mulier C. ad S^C. Vellej. cujus æque ac Novellæ 134. cap. 8. hic tenor est: *Si qua mulier crediti instrumento consentiat proprio viro, aut scribat & propriam substantiam aut se ipsam obligatam faciat, jubemus, hoc nullatenus valere, sive semel, sive multoties hujusmodi aliquid pro eadem re fiat, sive privatum sive publicum sit debitum, sed ita esse, ac si neque factum quicquam, neque scriptum esset, nisi manifeste probetur, quod pecuniæ in proprium ipsius mulieris utilitatem expensæ sint.* Ex qua lege recte inferant, uxorem quæ pro marito quocunque modo intercedit, qualecunque sit illud mariti debitum, & quotiescunque suam uxor intercessionem repetat, pro eo nunquam teneri, nisi creditor probet, pecuniam marito creditam in propriam mulieris utilitatem versam fuisse. Hancque authenticæ sanctionem hodie adhuc in viridi usu esse, non modo iis in locis, ubi nulla inter conjuges bonorum communio obtinet, sed & in iis, ubi acquæstum communio recepta est, omnium locorum Praxis consentit f).

§. III.

- e) I. I. C. ne uxor pro mar. ROESLIN. Abhandl. von besondern weiblichen Rechten 2ten B. 3ten Buchs 2ten Hauptst.
- f) DIETRICH D. de fidejussor. cap. 3. sect. 3. §. 44. GAIL. libr. 2. obs. 77. Coss. Fac. Tub. Vol. III. Cons. 203. n. 55. F. CHPH. HARP.

§. III.

Dantur tamen casus, in quibus uxor ex intercessione sua pro marito valide obligatur; nempe 1) si mulier dolose creditorem defraudavit, velut intercessionem dissimulando, bona sua tanquam mariti propria ignaro creditori scienter oppignorando; g) creditori autem in ejusmodi dolo se fundanti ejusdem probatio incumbit; secundo uxor ex intercessione obligatur, si legitime renunciat S^Cti Vellejani & cit. Avthenticæ beneficio; ut autem hoc legitime fiat, plura vulgo requisita præscribunt, velut 1. ut antequam fiat renunciatio, feminæ tenor S^Cti Vellejani & Avthenticæ satis explicetur, 2. eadem sponte, & ex libera voluntate, 3. non tantum beneficiis muliebribus generaliter, sed specialiter beneficio S^Cti Vellejani & avthenticæ si qua mulier renuntiet; ut 4. idem fiat coram judicio, vel deputatione judiciali, & quidem coram judice ordinario, accedente prævia causæ cognitione, & 5. jurato vel prout id consuetudine receptum est, cum asseveratione religiosa loco juramenti h), & 6. ut pecunia credita in utilitatem uxoris versa

fue-

HARPPRECHT *Conf. Tub.* 61. n. 76 *sqq.* Sunt tamen Jcti, qui dissentiunt, ex quibus allegare sufficiat LUDEWIG *in D. different. jur. Rom. & Germ. in fidejuss. uxor. diff.* 1.

g) ROESLIN *von besondern weiblichen Rechten. 1sten Band 3ten B. 1sten Abschn. 2ten Hauptstücks 2ten Kap. S.* 25.

h) WIBEL *de contract. mulier. cap. 5. n.* 134. *Cof. Fac. Tub. Vol. I. Conf.* 30. n. 54 *sqq.* & *Vol. II. Conf.* 173. n. 50 *sqq.* Plane juramentum corporale requirunt alii cit, apud J. CHR. HARPPRECHT *Conf. nov.* 70. n. 33.

B



fuerit ; At certum est , nimia esse , quæ requirunt ; & ut dictis beneficiis rite renunciatur , solum omni casu necesse esse , ut femina ex libera voluntate , cognito prius illorum tenore , utri- que renunciet , & creditor ex intercessione in uxorem agens , præter intercessionem ipsam , etiam renuntiationem prævia beneficiorum explicatione factam probet ; at quod ex libera vo- luntate mulier renunciaverit , licet necessarium sit , ejus tamen probatio non incumbit creditori , sed mulier de vi & coactione excipiens exceptionis suæ fundamentum probare debet ; & quod pecunia in utilitatem uxoris versa fuerit , hoc casu non requi- ritur ; cum si hoc factum sit , mulier etiam absque omni re- nuntiatione obligetur.

§. IV.

Ut vero mulier jurato renuntiet , ut coram judicio renun- ciet , requisita sunt , quæ neque in lege fundantur , neque ex principiis juris recte deducuntur ; i) modo creditorem sufficien- ter probare supponas , quod uxor intercedens utrique beneficio prævia explicatione renunciaverit , tum neque juramento , k) neque judiciali autoritate opus est , ut valida fiat renunciatio ; quamvis negare non velim , juramento soli secundum principia praxeos hodiernæ tantam vim tribui , ut juxta Canonem : omne juramentum servandum est , quod salva salute æterna servari potest , omni negotio alias invalido , modo non turpe sit , per illud obligatio inducatur , adeoque & intercessio uxoris jurata ,
vel

i) ROESLIN *im angef. 2ten Kap. §. 79 sqq.*

k) BOEHMER *D. de efficaci mulierum intercess. cap. 3. §. 8.*

vel renuntiatio utriusque beneficii jurata, modo libere & prævia beneficiorum explicatione fiat, mulierem intercedentem obliget, 1) ista tamen obligatio ex juramento ad heredes non transeat. Pari modo judicialis autoritas ad validitatem renuntiationis haud necessaria quidem, attamen creditori eo respectu maxime utilis est, quod per protocollum judiciale tanquam instrumentum publicum & intercessio, & rite facta beneficiorum renuntiatio facillime probetur.

§. V.

Denique ex ipso tenore authenticæ uxor intercedens obligatur, si pecunia, quam maritus mutuam accepit, in ipsius feminæ intercedentis utilitatem expensa fuit; velut si maritus eandem pecuniam uxori dedit, ut prædium compararet, propria debita extingueret &c. si vero pars tantum pecuniæ a marito acceptæ in uxoris utilitatem versa fuit, ad hanc tantummodo partem uxor intercedens obligatur. Creditor autem, in hac versione se fundans, quod ipsa lex jubet, plene versionem istam in rem uxoris probare debet; & eatenus tantum, quatenus versionem in rem uxoris probat, cum effectu eandem ex intercessione pullabit. Cum igitur maritum & uxorem in societate quadam esse, pecuniam vero quam maritus

B 2

mu-

1) BOEHMER *cit. D. §. 8.* J. CHPH. HARPPRECHT *Conf. nov. 70. n. 172 sqq.* SENKENBERG *de jure & privilegio dotis illatorumque &c. cap. I. §. II. nr. 4.* ROESLIN *im angef. 2ten Kap. §. 127.*



mutuam accepit, in rem societatis versam esse supponis, uxor pro ea parte obligabitur, quæ ipsius est in damnis societatis.

§. VI.

Uxor igitur, pro debito mariti intercedens obligatur 1. si dolose in creditorem egit, at non aliter, quam marito prius excusso, ubi creditor in damno hærens, ob damnum dolo datum actione de dolo potius, quam ex intercessione ad restitutionem damni dolo dati agit; 2. si beneficiis SC. Vell ejani & Avthenticæ rite renunciat; & hoc casu femina fidejubens, constituens, aut tanquam corream se obligans ad integrum mariti debitum solvendum m) ita obligatur, ut nisi beneficio excussionis specialiter renunciaverit, maritus prius excutiendus sit, eaque debitum cum usuris, quatenus ex bonis mariti obtineri non potuit, totum solvere condemnetur; ut vero, si totum debitum vel ejusdem partem solvit, solutam pecuniam a marito repetendi jus habeat; inde fit, ut concursu super bonis mariti moto, uxor ea, quæ ex intercessione pro marito facta solvere condemnata fuit, inter reliquos creditores repetere possit. 3. Denique, si pecunia, quam mutuam maritus accepit, in rem uxoris versa fuit; ubi uxor eatenus, quatenus versio in ipsius rem probatur, obligatur, at quod ex ea causa creditori solvere debuit, non amplius repetit. Alios casus singulares, a lege exemptos notat BOEHMER, in *D. de efficaci mulierum intercessione. cap. 3. §. 3. §. 99.*

§. VII.

m) CANZ in *D. de juribus & obligationibus uxoris, vel repudiato vel denegato beneficio renunciandi communioni bonorum, maxime secundum jus Württenb. §. 20.*

§. VII.

Ubi vero uxor intercedens nec doli rea est, nec beneficiis suis rite renunciavit, nec pecunia marito credita in rem ipsius versa est, ibi ex intercessione sua ita non obligatur, ut ipsa quod ex hac causa solvit, tanquam indebite solutum repetere ab accipiente possit. Ubi vero uxor non intercessit, sed potius debitum proprium solvere promisit, eidem neque SCri Vellejani, neque authenticæ beneficium prodest n); cavendum tamen, ne sub specie alius cujusdam contractus feminæ intercessio pro marito dissimuletur o). Inde si uxor in instrumento mutui se tanquam ream principalem, marito fidejubente obligat, uxor quidem regulariter tanquam debitor principalis, maritus non nisi fidejussorio nomine tenetur p). At facile hoc in casu fraus legi facta & intercessio pro marito celata fuisse præsumitur, quia eadem facilitate illi, ut tanquam debitor principalis, quam ut tanquam intercedens subscribat, persuadetur, ideoque creditori feminam tanquam debitricem principalem convenienti probationem injungunt, quod illa in suam, non mariti causam æs alienum contraxerit, vel pecunia in feminæ utilitatem versa fuerit, imprimis si summa debiti major, vel aliæ causæ suspicionis concurrant q).

B 3

simu-

n) LAUTERBACH. in *Concl. fov. exerc.* 28. th. 2.

o) LAUTERBACH. l. c. th. 4. § 5.

p) l. 28. pr. D. ad SC. Vellej. arg. l. 2. C. eod.

q) BROCKES. D. de exigua instrumenti, principalem uxoris, minus principalem mariti causam continentis fide. §. 17. sqq.



simulavit, ubi vere pro marito intercessit, creditori simulatio haud nocet, sed femina propter dolum suum defensione SC. Vellejani & avthenticæ merito privatur. Uxori porro beneficia nominata haud profunt, si ipsa hereditatem propter æs alienum damnosam adiit, vel ab herede emit r); si bona mariti obærata cum ære alieno suscipit s), aut absque prævia intercessione debita mariti solvit.

§. VIII.

Transeo ad debita uxoris propria, quæ ipsa absque intercessione pro marito, in suam utilitatem contraxit. Uti omnis debitor, ita & uxor, modo talem supponas, quæ ad contrahendum habilis est, sua propria debita jure communi solvere obligatur; quodsi tamen uxor de rebus ad sustentandam communem œconomiam, ad alimenta familiæ &c. pertinentibus contraxit, de debitis quidem ideo contractis creditori uxor obligatur, at quæ ex hac causa solvit, a marito quippe cui soli onera matrimonii incumbunt, repetit. Neque jure communi circa obligationem uxoris interest, an sola, an consensu mariti aliisque curatoris contraxerit, modo juribus mariti circa dotem præjudicium non inferat.

§. IX.

Quodsi denique maritus una cum uxore debitum contrahit, idque in communem utriusque utilitatem, uterque (sicut alii,

r) LAUTERBACH, in *Concl. for.* 28. th. 9. & 10.

s) LAUTERBACH, l. 6. §. II.



alii, qui conjunctim debitum contrahunt,) pro rata sua obligatur t). Quodsi autem conjuges correaliter se obligant, verum quidem est, quod maritus etiam de debito uxoris, vel de integro debito in solidum conveniri possit; at secus in uxore; illa enim cum marito se corream constituendo, quoad eam partem crediti, quæ ad maritum pervenit, intercedit; uxoris igitur obligatio correalis, nisi totum creditum ad uxorem pervenerit, inque ejus utilitatem versum fuerit, vel ipsa rite beneficiis suis renunciaverit, inefficax erit, & maritus quidem in solidum, uxor vero de sua tantum parte obligabitur. Si denique uterque conjux se obligat, at debitum in solam mariti utilitatem contrahitur, uxor tanquam ex invalida intercessione plane non obligatur, nisi ipsa, dolosa simulatione, quasi pecunia & in suam utilitatem acciperetur, creditorem ignarum circumvenerit, vel rite exceptionibus SCti Vellejani & Avthenticæ renunciaverit.

§. X.

At quando mulier cum marito conjunctim se obligat, multum certe interest, cui probatio incumbat? an creditori, quod pecunia in utilitatem uxoris versa, an mulieri, quod in solam mariti utilitatem versa aut ab eo dissipata fuerit? Decidit praxis, contra creditorem, quod sc. pecunia semper ad maritum tantquam potentiolem venisse præsumatur, ideoque ad analogiam avthenticæ si qua mulier C. ad SC. Vellej. creditor audiri non de-

t) l. II. §. 2. D. de duob. reis. l. 44. §. 1. D. de aedil. editæ. FROMMANN, in D. de correali obligat. §. 12.



debeat, nisi versionem in rem uxoris probaverit u); ut igitur non sufficiat probare, quod uxor cum marito se obligaverit, ipsique pecunia numerata fuerit v). Quodsi tamen ex instrumento obligationis apparet, quod vir & uxor in communem utriusque utilitatem contraxerint, præsumitur pro creditore, donec uxor pecuniam a marito solo dissipatam fuisse docuerit; at econtra, si in instrumento maritus de se tantum loquitur, uxor vero non nisi subscribit, vel si communis utilitatis non fit mentio, invalida intercessio præsumitur.

§. XI.

Uxor igitur debita, quæ ipsa sola vel cum marito contraxit, tanquam propria solvit, igitur nunquam a marito, orto super ejus bonis concursu repetit; at per modum restitutionis in integrum a solutione ejusmodi debitorum absolvitur, si probat, se a marito, vel etiam a creditore dolo circumventam vel coactam instrumento obligationis tanquam debtricem principalem subscripsisse.

§. XII.

Hæc sunt scita juris communis de obligatione uxorum, quæ & hodie in dubio obtinent, nisi vel statuta expresse contrarium sanciant, vel ex natura hujus vel alius statuti aliud quid sequatur. Has igitur juris Germanici differentias ordine jam percurramus, & quid hoc vel illo casu statuendum, exprin-

u) LAUTERBACH. *D. de aere alieno, in societate conjugali contracto solvendo.* §. 61. GAIL. *libr. 2. obs. 89. n. 1. sqq.*

v) GAIL. *libr. 2. obs. 89. n. 1.*

principiis deducamus. Primo igitur loco notare liceat, quod plura Germania statuta, velut Saxonica & Würtembergica, ut valida sit mulieris cujuscunque obligatio, adhibitionem & consensum curatoris legitimi aut judicialiter constituti requirant, ita ut contractus mulieris absque curatore initus ipso jure nullus sit w). Inde de debitis, quæ uxor sine marito, omnique alio curatore ejusmodi in locis contraxit, ipsa plane non obligatur; & iisdem in locis, ut femina pro marito intercedens rite beneficiis suis renunciet, curatore opus est; at secundum eadem statuta maritus, quamvis non judicialiter constitutus, legitimus tamen semper uxoris suæ curator est, ideoque si uxori proprium debitum contrahenti maritus tanquam curator assistit & consentit, ea sine dubio obligatur. At probe notandum, quod officium mariti tanquam curatoris uxoris suæ legitimi omni in casu desinat, ubi circa contractum uxoris proprium mariti interesse versatur; igitur cum mulier pro marito intercedit, aut intercedens beneficiis suis renunciat, mariti tanquam legitimi curatoris consensus non sufficit, sed alio ad hoc negotium specialiter constituto curatore judiciali opus est x); verum si uxor cum marito partim in hujus, partim in propriam utilitatem contrahit, tum ut mulier pro sua parte obligetur, maritum tanquam curatorem legitimum consentire, & instrumento obligationis subscribere sufficit y).

§. XIII.

- w) *Coff. Fac. Tub. Vol. V. Conf. 12. n. 92. Conf. 23. n. 17. Conf. 41. n. 26.*
 x) *Jur. prov. Würt. 2ten Th. 29sten Tit. §. ferner wollen wir auch S. 317. Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 173. n. 51. & 115. & Vol. V. Conf. 31. n. 350.*
 y) LAUTERBACH. *D. de aere alieno in soc. conjug. contr. solv. §. 57.*
 F. CHR. HARPPRECHT. *Conf. Tub. 70. n. 116.*



§. XIII.

Aliam juris Germanici differentiam in eo sitam communis sententia statuit, quod uxor mercatrix sive sola mercatrix sit, sive cum marito sit in societate mercatoria, nullo plane ad curatorem habito respectu, de omnibus debitis & suis & mariti obligetur, z) imo quod valide, licet sine curatore, & pro marito & pro quovis alio intercedat a). At ne male judicemus, 1. probe attendenda est differentia inter feminam mercatoris & feminam mercatricem, cum non omnis femina mercatoris sit quoque femina mercatrix, potius creditor in hac qualitate se fundans, feminam mercatricem esse probare debet, b) neque sufficit eam mercatori nuptam esse, & operas obsequiales præstando eidem merces vendere vel emere c); 2. Hæc exceptio non

z) GAIL. *libr. 2. obs. 90. n. 37.* RICHTER *de legali dot. hypoth. §. 32.* REBHAHN. in *D. quæ uxor mercatrix, eine Kram- oder Marktfran sit, & proprie dicatur? §. 12 sqq. & §. 66 sqq.* LAUTERBACH. *D. de aere alien. in soc. conj. contr. solv. §. 75. & in Cofs. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 203. n. 6.* Multa etiam statuta id expresse disponunt DORN. *D. de aere alieni inter conjuges Norimbergenses communione. §. II. Reformat. Francof. part. 3. tit. 7. §. 1 sqq.*

a) BOEHMER. *de efficac. mul. intercess. cap. 3. §. 7. not. gg)* LUDEWIG. *Diff. jur. Rom. & Germ. in SC. Vellej. exule. diff. 7.* LUDOVICI *de muliere cambiante §. 2.* SCHOEPPF. *Dec. 66.* ELSAESER. *Romana Themis commercior. faulrix. §. 32.*

b) REBHAHN. *cit. D. §. 36. Cofs. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 203. n. 36 sqq.* SCHOEPPF. in *Eorund. Vol. VIII. Conf. 62. n. 30. Conf. 105. n. 63.*

c) SCHOEPPF. *Dec. 90. n. 32.*

non extendenda est ad alias feminas, quæ v. gr. uxores sunt opificum, licet cum marito ratione opificii societatem quandam inierint d). 3. Femina, licet mercatrix sit, non tamen impeditur, illata sua ex concursu super mariti bonis orto repetere e); femina quoque, quæ separatam a marito, non communem cum illo, exercet negotiationem, ex veriori opinione propter debita mariti nunquam, sed ex sua quacunque obligatione tenetur f); cum nulla ratio excogitari possit, cur ejusmodi negotiatio separata uxorem creditoribus mariti obligare possit. Imprimis vero notandum, quod 4. & illa femina mercatrix, quæ cum marito societatem inicit mercatoriam, non de omnibus indistincte debitis a marito contractis, sed de iis tantum, quæ causam societatis respiciunt, obligetur, nulla vero ratio suppetat, cur eandem ad debita quoque, a marito in sui solius utilitatem contracta obligatam, g) cur eandem & in causis mercaturam non spectantibus absque curatore contrahere posse iudicemus h). In genere autem de praxi Würtembergica Jcti nostri testantur, vix hæc jura singularia feminæ mercatricis in patria nostra attendi, sed ceteris paribus etiam feminam mer-

C 2

ca-

- d) uti contra LUDWIG I. c. recte statuitur in *Cofs. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 30. n. 36. & Vol. III. Conf. 203. n. 52.*
- e) SENKENBERG. D. de jure & privilegio dotis in concursu cred., cap. I. §. 12.
- f) SENKENBERG. cit. §. 12.
- g) GAIL. libr. 2. obs. 90. n. 6. RICHTER. de legal. dot. hypoth. §. 32.
- h) *Cofs. Fac. Tub. Vol. V. Conf. 23. n. 24.* AYRER. in D. de societate mariti & uxoris mercatoria §. 19.



catricem cum pleno effectu ad beneficia muliebria admitti i). Ceterum quando uxor partem bonorum suorum in societatem, cum marito certæ negotiationis causa initam, contulit, obligatio ejus ad debita societatis solvenda regulariter, nisi statuta contrarium sanciant, mere ex principiis juris communis erit judicanda k); igitur uterque socius de debitis societatis nomine sive ab uno, sive ab utroque simul rite contractis obligatur.

§. XIV.

Plurimæ vero differentix juris Romani a statutariis & provincialibus Germanix legibus originem suam debent communioni bonorum, inter conjuges per hasce leges plurimis in locis introductæ, quæ sæpius efficit, ut conjux ad ejusmodi alterius conjugis debita solvenda obligetur, de quibus eadem jure communis Romano non respondet; communio enim bonorum onera quoque reddit communia, unde fit, ut per illam æs alienum conjugum, & obligatio ad illud solvendum pro diversa qualitate communionis diversimode fiat communis. Constat autem, diversæ indolis in territoriis Germanix esse hanc bonorum inter conjuges communionem, quum alibi sit universalis omnium bonorum, ita ut quæcunque conjugum bona inter illos quoad ipsum dominium fiant communia, & præsentia & futura, & neuter conjugum aliquid proprii habeat, quod non & alteri com-

i) WIBEL. de contract. mulier. cap. 5. n. 125. & de jure prælat. in conc. cred. §. 16. pag. 47. Cons. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 30 n. 69. Vol. III. Conf. 295. n. 25.

k) LAUTERBACH, de sociorum obligatione &c. §. 33 §44.

✠ ✠

21

commune fit; alibi vero obtineat particularis sive acquæstuaria communio, ita ut bona ab utroque conjugè sive ab initio matrimonii, sive durante eo, illata inferenti maneat propria, & non nisi acquæstus durante conjugio vel ex bonis conjugum, vel laboribus facti inter eosdem communes fiant l); in aliis locis in casu existentium liberorum particularis; sin autem liberi deficiant, universalis bonorum communio obtinet m).

§. XV.

Quod igitur ad communionem bonorum inter conjuges universalem attinet, res facile expedita est. In ea enim, sicuti omnia conjugum bona, præsentia & futura, quoad ipsum dominium inter conjuges fiunt communia, ita & onera, quæ bonis communibus inhærent; igitur & omne æs alienum, sive a marito sive ab uxore, sive ab utroque, sive durante matrimonio sive ante illud contractum, utrique conjugum commune est, & ex communibus bonis solvendum. Hoc igitur casu uxor ad omnia debita, sive propria, sive mariti sive communia solvenda

C 3

ob-

- l) Statuta & leges provinciales, quibus hæc vel illa bonorum inter conjuges communio introducta, collegit CANZ in *D. de juribus & obligationibus uxoris vel repudiato vel denegato beneficio renunciandi communioni bonorum, maxime secundum jus Würt. §. 4.* Universalis olim & hic loci obtinuit secundum vetus illud statutum Tubingense fol. 12.
- m) Ita ex. gr. jure Suevofurtenfi *sect. 2. tit. 12. §. 3. sqq. tit. 17. §. 11. 15. sect. 5. tit. 54. sect. 7. tit. 61. §. 5. & tit. 62. §. ult. sancitum*; pariter jure Lubecensi WALCH. *D. de discrimine bonorum uxorum jure Rastochiensi sublato. 15. sqq.*



obstricta est n), neque ulla regulariter distinctio observatur, an debita in causam societatis, an in solitariam contrahentis utilitatem contracta fuerint, an uxor instrumentum debiti subscripserit, an non? nec unquam hoc in casu quaestio oriri potest, an rite uxor pro marito intercesserit, cum pro omni debito mariti sine intercessione obligetur. Plane si per concursum super bonis conjugum ortum omnia ipsorum bona communia excussa & exhausta sunt, uxor adhuc creditoribus, quibus ex massa concursus haud satisfactum est, stricto jure obligatur, ut igitur ex bonis etiam postea acquisitis reliquis sive mariti sive propriis creditoribus satisfacere debeat. Tantum si uxor in partibus dotalibus certa bona a communione exceperit, & sibi reservavit, tum in casum concursus super bonis mariti excitati, bona reservata non modo ex illis jure repetit, sed & eo beneficio fruitur, ut ex bonis reservatis debita mariti solvere non obligetur o) nisi sint debita uxoris propria, v. gr. delinquendo contracta, vel nisi debitis socialibus ab uxore cum marito contractis bona communia non sufficiant p).

§. XVI.

- n) CANZ. *cit.* D. §. 6. & Autores *citt.* in not. a. PAUL. WILHELM. SCHMID, D. de uxore mariti herede, quatenus ad ejus aes alienum solvendum ex statuto tenetur, in integrum non restituenda §. 2 & 7 sqq. B. TAFINGER. in D. *Effectus potiores communionis bonorum universalis constante matrimonio.* §. 30 sq. KLUGKIST. D. de regulis juris Romani e doctrina de societate male ad communionem bonorum inter conjuges accommodatis. pag. 59. *obs.* 5.
- o) ENGAU. D. de bonorum inter conjuges Suevos, praecipue Memming. communionem §. 48 & 80. WALCH. D. de discrimine bonorum uxoriarum, jure Rosochiensis sublato. §. 15.
- p) GILDEMEISTER. D. de communionem bonorum inter conjuges, maxime ex legibus Bremanis. §. 23.

§. XVI.

At plerumque leges & consuetudines particulares, quæ communionem bonorum inter conjuges universalem introduxerunt, ad sublevanda uxori plerumque innocenti onera inde resultantia, hoc illi beneficium concesserunt, ut per cessionem omnium bonorum communium, ipsa a reliquo onere æris alieni liberetur, adeoque bona, quæ uxor post motum concursum & factam cessionem acquirit, creditoribus non amplius obligentur, imo & pro futuro uxor de ære alieno mariti non amplius teneatur. Igitur uxor in his casibus omnia quidem, quæ in matrimonium intulit, bona creditoribus relinquere debet, nec quicquam dotis aut alio quocunque titulo repetit; attamen ab ea obligatione, qua & ex bonis futuris debita mariti, & præsentia & futura solvere debet, eximitur q), modo iis in locis, ubi specialis hujus beneficii imploratio requiritur, vel certa solemnia & fatalia præscripta sunt, uxor hæc omnia diligenter observet r). Passim & aliud uxori remedium datum, ab obligatione æris alieni se liberandi, ut sc. vivente adhuc marito & non imminente concursu

q) ENGAU. D. de bonorum inter conjuges Suevos præcipue Memmingenses communiõne §. 23. SCHMID in cit. D. de uxore, mariti herede &c. §. 10. WALCH. cit. D. §. 16. GILDEMEISTER. cit. D. §. 26. AYRER. in D. de debitore obæratõ, ejusque vidua s. uxore sese servante per beneficium renuntiationis patrum nuptialium ad jus Lubec. cap. 3. §. 19.

r) de quibus CANZ. in cit. D. §. 7. not. d. at in aliis locis mulier, illata relinqueas, quoad bona sua futura ipso jure libera est, unde & plurimi in communiõne conjugum universali beneficia muliebria non obtinere statuunt.



su creditorum revocet communionem bonorum ratione illorum, quæ post initam communionem iure hereditario vel alio quocunque modo ad ipsam pervenire possunt, ita tamen ut marito in bonis post hæc communionem acquisitis salvus maneat ususfructus s).

§. XVII.

Ast sunt etiam casus, in quibus uxor hoc beneficio destituitur, idque vel in genere, vel intuitu certorum debitorum. Illud evenit, quum uxor solennia vel fatalia beneficii sui negligit, vel eadem implorare omittit, nisi in integrum restitutionis beneficio ex quacunque causa adjuvetur; vel si expressa declaratione huic cessionis beneficio in totum renunciat, vel hereditatem mariti amplectitur. Multæ leges provinciales mulierem quoque mercatricem ab hoc beneficio excludunt t). An idem fiat, si uxor luxuria, prodigalitate & ignavia sua æque aut magis ac maritus statum œconomix obæratum promoverit, adhuc sub iudice lis est. Nisi leges particulares hoc in casu uxorem prodigam beneficio cessionis indignam judicent, illo privari posse negat B. CANZ u) ex ratione, quod beneficium hoc in eo fundetur, quod creditores contrahendo, bona potius conjugum præsentia, non æque futura, quorum acquisitio adhuc incerta erat, respexerint; at quod pace tanti viri, cuius cineres veneramur, dictum sit, & decisio & ratio decidendi minus placet.

Ratio

- s) STEIN in den Abhandl. des Lübschen Rechts part. I. §. 134.
 t) FERD. CHR. HARPPRECHT in tr. de renuntiatione acquæsus conjug. §. 136.
 u) in cit. D. §. 8.



Ratio beneficii alia esse non potest, quam commiseratio in mulierem infirmam, quæ maritum prodigum & quævis pericula incaute subeuntem cohibere, ejusque moribus dissolutis modum ponere non potest, & licet fecerit quod potuit, non modo omnia perferre debuit, sed & suis opibus debita pessime a marito contracta, uxori non modo inutilia, sed maxime exosa solvere debet. Sed pone jam uxorem, quæ luxu & prodigalitate maritum adhuc superat, non tantum bona dissipat, sed & grande æris alieni onus constat; Quid si uxorem ideo, quod creditores ad præsentia, ad illata tantum bona respexerint, absolvere vellemus a solutione ex noviter acquisitis; statuere deberemus, cessione bonorum illatorum mulierem ab omni obligatione liberari, quam ipsa contraxit; statuendum potius, quod sicuti debitor qualiscunque non modo ex bonis tempore contractus vel postea moti concursus possessis, sed & ex aliis quæ postea acquirit, creditoribus suis satisfacere debet, nec unquam, quæ bona debitor tempore contractus possederit, respicitur, ita & uxor, cujus culpa grande æs alienum conjugale constat, per cessionem bonorum illatorum in creditores nunquam ab obligatione sua se liberet. Tacemus, quod & æquitas ipsa exigat, hoc in casu creditoribus potius de damno vitando certantibus, quam mulieri propriam culpam sentienti succurrere.

§. XVIII.

Neque dubium est, posse etiam uxorem beneficio suo, bona sua futura ab ære alieno ante cessionem contracto liberandi, destitui respectu ad unum tantum vel alterum creditorem. Refero

D

huc



huc casum, non modo si uxor expresse cum certo creditori se obligat, erga eum huic beneficio rite renunciat, sed & quotiescunque in sui utilitatem contrahens ipsa creditori expresse se obligat; nam ita debitor facta non aliter quam modis in jure approbatis, velut solutione aut compensatione liberatur.

§. XIX.

Sicut effectus hujus beneficii muliebris, ubi communio bonorum universalis inter conjuges obtinet, is est, ut mulier ad incitas redacto marito per cessionem quorumcunque bonorum presentium id obtineat, ut bona sibi post cessionem acquisita sibi fervet, neque creditoribus qui ante cessionem extiterunt, ex iisdem satisfacere obligetur; ita si idem beneficium mulieri denegatur, is precipue denegationis effectus erit, quod uxor ex iis, quæ post cessionem nova bona acquirit, etiam creditoribus, qui ante cessionem extiterunt, satis facere debeat.

§. XX.

Hæc de obligatione uxoris in locis, ubi universalis bonorum inter conjuges communio obtinet; transeamus igitur ad societatem quaestuum seu particularem, quam cum & in patria nostra obtineat v) & multo difficiliore eosque plures circa obligationem uxoris casus exhibeat, paulo curatius enodabimus. Id precipue præmonendum, quod quoties ex natura hujus so-

cieta-
v) Ceterum nil obstat, quin per pacta singularia inter conjuges Württembergicos vel omnis communio bonorum tolli, vel loco communiois quaestuum communio bonorum universalis stabiliri possit, quo casu principia prius explicata obtinebunt.



porro omne id, quod aliquis conjux propter delictum a se commissum debet, sive pœna sit, sive satisfactio privata c); debita ex additione hereditatis ab uno conjuge facta orta d); debita ex eo orta, quod alter conjugum indebitum acceperit, sicque tacite ad ejus restitutionem se obligaverit e); impensæ magnæ & extraordinariæ, quæ in meliorationem prædii alterutri conjugum proprii, vel in litem alterutrius factæ f); pecunia, quam alteruter conjugum litigans ad rem suam servandam transigendo promittit g); quod idem ex fidejussione vel magna donatione cuiquam debet, vel ex proprio aliquo debito novato h); quod in genere alteruter conjugum prodigalitate in ludis, commessationibus &c. vel & culpose tantum dissipat i); inprimis vero huc pertinent debita ab alterutro conjugum ante initum matrimonium, licet initis jam sponfalibus contracta k); plane & ea, quæ

- c) LAUTERBACH. *cit. D. §. 47. & in Coss. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 105. n. 7.* MÜLLER. *cit. D. cap. 7. §. 2.* WIRGER *D. de problem. intricatissimo societatis, quæ est inter virum & uxorem respectu conjugalis acquæstus. §. 49.*
- d) LAUTERBACH. *cit. D. §. 40.*
- e) LAUTERBACH. *cit. D. §. 42.*
- f) LAUTERBACH. *cit. D. §. 38. §q. & in Coss. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 263. n. 18. §q.*
- g) LAUTERBACH. *cit. D. §. 41.*
- h) LAUTERBACH. *cit. D. §. 44. §q.*
- i) *Jur. prov. Würt. p. 4. tit. 4. §. Wo aber selbige. p. 437. & §. fin. p. 48.* ibique BESOLD. LAUTERBACH. *cit. D. §. 46. & in Coss. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 67. Conf. 173. n. 97.*
- k) LAUTERBACH. *cit. D. §. 9.* SCHOEPPF. *Dec. nov. 16. n. 35.* ENGAU *D. de bonorum inter conjuges Suevos, præcipue Memmingenses communione, §. 56.*

quæ maritus debet ob dona ante initum matrimonium sponsæ
 emta l); denique huc etiam pertinent debita ab uno conjugum
 post solutum matrimonium contracta, & inter ea impensa fune-
 ris cujusque conjugis m).

§. XXI.

De ejusmodi ergo debitis non socialibus conjux tantum
 contrahens & debitor, non autem alter conjux tenetur nisi for-
 san ex intercessione; quo casu maritus quidem, pro uxore quo-
 cunque modo intercedens indistincte obligatur, salvo tantum
 beneficio excussionis, nisi eidem specialiter renunciaverit; ita
 ut id quod ex hac causa pro uxore solvit, ab eadem ejusve here-
 dibus repetere possit; Quodsi autem uxor pro debito mariti in-
 tercessit, eadem beneficio S^Cti Vellejani & authenticæ si qua
 mulier C. ad SC. Vellej. adjuvata non obligatur, nisi vel dolo in
 creditorem ignarum usa, vel pecunia in rem uxoris versa fue-
 rit, vel ipsa rite & specialiter beneficiis S^Cti Vellejani & Av-
 thenticæ renunciaverit; quo sine quidem ex veritate juris com-
 munitatis (§. IV.) sufficit, eam ex libera voluntate prævia bene-
 ficiorum explicatione specialiter renunciasse; neque juramen-
 tum, aut judicialis auctoritas, aut versio in rem uxoris re-
 quiruntur. Idemque etiam in locis, ubi acquæstum communio
 introducta, in dubio obtinet; neque jure Württembergico autori-
 tatem judicialem requiri, ideo statui potest, quod passus juris
 provincialis in parte 2. tit. 29. pr. habeat verba: *solches auch vor*
 D 3 *Gi.*

l) LAUTERBACH. cit. D. §. 11.

m) LAUTERBACH. cit. D. §. 15.



Gericht genugsamlich erscheinete; quum hæc verba a creditore agente tantum probationem sufficientem judicialem exigant; at magis singulare est, quod ex eodem jure provinciali intercessio uxoris pro marito aliter valere non debeat, quam si ex libera voluntate & *gemeiner Haushaltung zu gut* fiat, & creditor probet, negotium in quo mulier intercessit, manifestæ utilitatis pro uxore aut ejus liberis fuisse. Unde videri posset, uxorem pro debito mariti proprio nunquam, sed tantum pro sociali aut eo, quod in utilitatem uxoris propriam contrahitur, intercedere posse; imo renunciationem uxoris pro debito mariti proprio intercedentis, nunquam valere ob verba: *Auch, da wider diese unsere Satzung in einigen Weg gehandelt, solches keine Kraft noch Wirkung haben soll.* Attamen renunciationem uxoris per hæc verba non excludi, & JCTi nostri n) & quotidiana experientia monstrant. Interim ex eo juris provincialis loco deduxerunt patriæ JCTi, renunciationem SCTi Vellejani & *Auth. si qua mulier C. ad SC. Vell.* non aliter valere, nisi jurato & coram judice vel deputatione judiciali facta fuerit o); secundum praxin tamen asseveratio uxoris religiosa loco juramenti sufficit p).

§. XXII.

Longe alia obtinent in debitis socialibus, iis nempe, quæ in commodum societatis conjugalibus durante conjugio contrahuntur, seu quæ ex ejusmodi causa veniunt, cujus commodum principii

n) F. CPH. HARPPRECHT. *Conf. nov.* 70. n. 277.

o) *Conf. Fac. Tub. Vol. I. Conf.* 30. n. 54. *sqq.* & *Vol. II. Conf.* 173. n. 54.

p) WIBEL. *de contract. mulier. cap.* 5. n. 135. *sqq.* F. CPH. HARPPRECHT. *Conf. nov.* 70. n. 34. & 246.

principale cedit societati, & ad acquæstum pertinet q). Huc ergo pertinent omnia, quæ ad sustinendam communem rem familiarem, ad alendos conjugem & liberos, ad alenda & habenda famulitia impensa fuerunt, tributa decimæ aliaque onera bonis conjugum propriis & communibus inhærentia r), pretium ædium, quas conjuges habitationis aut commercii causa emunt; merces ædium, quas illi eodem fine conducunt s); quæ vir literatus ex coemtione librorum, vir artifex, opifex aut mercator ex emtione instrumentorum aut mercium artificio, opificio vel negotiationi suæ destinatorum debet t). Sumtus, qui colligendis fructibus ex unius conjugis propriis, vel utriusque communibus prædiis, eorumque culturæ impenduntur, u) laudemium quod maritus ob noviter acquisitum prædium emphyteuticum solvere debet, modo non sit immodice magnum v), taxa, quæ suscepto novo munere proficuo mariti pendenda est; w) quæ n alimentata, vestimenta, & curationem conjugum & liberorum,

nec

q) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 19. LAUTERBACH. cit. D. §. 19. ENGAU. cit. D. §. 70. HAUS. cit. D. §. 38.*

r) *FABER. de præcipuo conjug. §. 49.*

s) *LAUTERBACH. cit. D. §. 18. HAUS. cit. D. §. 38.*

t) *LAUTERBACH. cit. D. §. 19. Et in Cofs. Fac. Tub. Vol. II. Coff. 47. n. 19. F. CHER. HARTFRECHT. Conf. rov. 70 n. 69. HAUS. cit. D. §. 38.*

u) *LAUTERBACH. cit. D. §. 21. ΑΡΤΟΡÆUS in D. de restitutione & redintegratione bonorum uxoris in societatem conjugalem illatorum. cap. 7. §. 8.*


v) *LAUTERBACH. cit. D. §. 23.*

w) *LAUTERBACH. cit. D. §. 22.*

nec non in horum educationem impensa sunt ; x) impensæ funeris liberorum , qui propria bona nondum possident ; y) quæ ob mercedem & alimenta famulitii , quæ habitationis causa , quæ ad coemenda ligna , ad coquendum aut calefaciendum destinata z) , quæ ad alendos parentes unius conjugis impenduntur , a) usuræ , quæ ex debitis alterutrius propriis vel utriusque conjugis communibus solvendæ b) impensæ modicæ , (de quo iudex pro arbitrio cognoscit ,) in litem unius , & impensæ omnes in litem communem utriusque conjugis factæ ; c) neque qualitatem debiti socialis impedit , quod pecunia impendatur in res ad unius vel alterius conjugis præcipuum pertinentes , velut bibliothecam , equos , arma , vestimenta & ornamenta muliebria &c. d) Facillime ut credo , qualitas debiti socialis iudicatur ex regula : Omne negotium , ex quo aliquid ad acquiretum conjugalem pertinens , acquiritur , e) vel onus societati conjugali incumbens præstari aut averti intenditur , gignit debitum sociale.

§. XXIII.

- x) LAUTERBACH. *cit. D. §. 24. Cofs. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 53.* HAUS. *cit. D. §. 40.*
 y) LAUTERBACH. *cit. D. §. 27.*
 z) LAUTERBACH. *cit. D. §. 32.*
 a) LAUTERBACH. *cit. D. §. 33.*
 b) LAUTERBACH. *cit. D. §. 36.*
 c) LAUTERBACH. *cit. D. §. 38 sq. & Cofs. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 263. n. 18 sq.*
 d) FABER. *D. de præcipuo conjugum cap. 6. §. 45 sq. Cofs. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 31. n. 14.*
 e) *Cofs. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 19.* F. CHPH. HARPPRECHT. *Conf. nov. 76. n. 72.* LANGE *von der Gemeinschaft der Güter 7ten Hauptst. §. 25.* LAUTERBACH. *cit. D. §. 18. n. 3.*




§. XXIII.

Ejusmodi debita socialia vel a marito solo, vel ab uxore sola, vel ab utroque conjugum simul contrahuntur. Maritus tanquam caput societatis conjugalis sine dubio in scia uxore valide ejusmodi debita contrahit, eo effectu, ut uterque conjux obligetur, licet is in contractu neque uxoris neque societatis mentionem faciat, modo expensæ ejus non in profusionem degenerent, f) vel uxor non expresse cum renuntiatione lucri ex negotio provenientis contradicat g); Maritus vero ex ejusmodi contractu, quem solus in communionis utilitatem iniit, in solidum conveniri potest, ut tamen si solidum solvit, ratam ab uxore ejusve heredibus recuperare possit h). Expeditum quoque est, quod uxor in rebus curæ ipsius oeconomicæ vulgo commissis, velut quæ ad alendam & vestiendam familiam, suppleendam & reficiendam suppellectilem pertinent, in scio quoque marito, imo & sine omni alio curatore recte contrahat, & de debito sociali inde orto maritus etiam obligetur i); imo si maritus expresse vel tacite ipsi in utilitatem societatis commercium quoddam, velut vinarium, lintearium &c. concedit, non dubium est, de debitis inde ortis tanquam socialibus maritum quoque obligari k), ut

tamen

f) *jur. prov. Würt. part. 4. tit. 4. §. wo aber. pag. 437.*g) LAUTERBACH. *cit. D. §. 63. F. CHRH. HARPPRECHT. Conf. nov. 70. n. 75 sqq.*h) *arg. l. 4. §. 1. D. de exerc. act. l. 3. C. de negot. gest.*i) LAUTERBACH. *cit. D. §. 64. SCHOEFFF. in Conf. Fac. Tub. Vol. IX. Conf. 17. n. 42.*k) LAUTERBACH. *cit. D. §. 75.*



tamen, si nimium uxor æs alienum contrahat, iudicis arbitrarium merito rem componat. Denique sæpius fit, ut maritus una cum uxore debitum sociale contrahat, quo casu, quin uterque socius obligetur, nemo est qui dubitat; imo hoc casu uxor, licet alium curatorem præter maritum non habeat, valide obligatur; nam uterque pro sua parte sola contrahere censetur; ergo maritus uxori de propria sua parte contrahenti rite curator esse potest; neque judicialis autoritas vel causæ cognitio hoc casu requiruntur 1).

§. XIV.

Sicuti ea, quæ conjuges præter illata in societate particulari acquirunt, lucro eorum cedunt, & inter eos communia fiunt, ita e contra & debita socialia inter eosdem communia fiunt, ita ut, siue a marito, siue ab uxore, siue ab utroque simul rite contracta fuerint, primo ex bonis conjugum acquisitis solvantur m), at si acquæstus iis solvendis haud sufficiat, uterque conjux pro rata acquæstus ex propriis bonis creditoribus satisfacere debeat n); igitur

1) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 24.*

m) *Jur. prov. Würt. part. 4. tit. 4. rubr. von der Einbus. §. da nun pag. 439. LAUTERBACH. cit. D. §. 49. FABER. D. de de præcipuo conj. §. 45.*

n) *Jur. prov. Würt. part. 4. tit. 4. §. da aber in wählender pag. 440. LAUTERBACH. cit. D. §. 51. sq. Coff. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 30. n. 35. Conf. 48. n. 2. Conf. 142. n. 43. Conf. 173. n. 29. sqq. Vol. III. Conf. 295. n. 7. ENGAU. cit. D. de honor. inter conjuges Suevos &c. §. 59. Minus recte ergo statuunt, qui ab utroque conjuge omne æs alienum durante conjugio contractum solvendum esse statuunt, uti P. W. SCHMID. in cit. D. de uxore mariti herede &c. §. 7.*

Igitur in locis, ubi inter conjuges acquæstus pro dimidia dividitur, acquæstu deficiente maritus unam, uxor alteram debitorum socialium dimidiam solvit; & ita in Würtembergia nostra o). Ubi vero, quod statuta universitatis nostræ Tubingensis certo casu disponunt, una tertia acquæstus ad uxorem, duæ tertiæ ad maritum pertinent, ibi & eadem proportio in debitis socialibus solvendis servanda est p). Si vero & acquæstus deest, & uni conjugum propria bona defunt, alter tamen conjugum non totum debitum sociale, sed suam tantum ratam ex propriis bonis solvere obligatur q), nisi locuples conjux pro inope rite & valide intercesserit r).

§. XXV.

Licet vero uterque conjux simul debito sociali solvendo se obstringat, eoque sine uterque instrumentum obligationis subscribat, maritus tamen pro dimidia tantum & uxor pro dimidia tantum, tanquam proprio debito obligatur s); ita ut hoc casu uxor dimidiam debitori solutam, nunquam a marito vel ex ejus massa obærata repetere posse videatur, quoniam illam solvendo, proprium, non mariti debitum solvit. (cfr. §. 27.) At si in instrumento obligationis non modo ambo conjuges debi-

E 2 to

- o) *cit.* §. da aber. LAUTERBACH. *cit.* D. §. 52. *Coff. Fac. Tub.* Vol. I. *Conf.* 31. n. 17. Vol. II. *Conf.* 47. n. 20.
- p) LAUTERBACH. *cit.* D. §. 54.
- q) Ita recte contra BESOLDUM *ad jur. prov. Würt.* p. 4. t. 4. §. 28. statuit LAUTERBACH. *cit.* D. §. 55. *Coff. Fac. Tub.* Vol. I. *Conf.* 30. n. 66. *Conf.* 48. n. 3. & Vol. II. *Conf.* 295. n. 23.
- r) LAUTERBACH. *cit.* D. §. 56.
- s) *Coff. Tub. Fac.* Vol. II. *Conf.* 47. n. 26. & 81.



to sociali solvendo se obstringunt, sed & tanquam correi in solidum se obligant, tum primo maritus indistincte in solidum, adeoque & ad dimidiam uxoris solvendam conveniri potest, salvo tantum, nisi expresse renunciaverit, beneficio divisionis & excussionis; verum femina, quæ pro debito sociali in solidum se obstringit, pro sua quidem parte proprium debitum constituit t), at quoad partem mariti pro debito alieno intercedit, adeoque non obstante correali sua in solidum obligatione pro sua tantum rata obligatur; a solutione autem ratæ mariti absolvitur, nisi vel omnis pecunia in ipsius utilitatem versa esse doceatur, vel ipsa beneficio SC. Vellejani & authenticæ specialiter rite renunciaverit. Idem etiam obtinebit, si ab initio debitum sociale a solo marito contractum fuit, ex post vero uxor ejus solutioni in solidum se obstrinxit; nam & in hoc casu mulier, quia pro parte mariti intercedit, de sua tantum parte debiti socialis obligatur, nisi dictis beneficiis rite renunciaverit. Quæ autem rite renunciavit, de sua parte debiti socialis principaliter, de mariti parte in subsidium demum, si maritus non solvendo est, obligatur.

§. XXVI.

Cum igitur creditor de debito aliquo tanquam sociali adversus utrumque conjugem agit, eidem probatio incumbit qualitatis debiti socialis, idque sive maritus solus, sive uterque conjux contraxerit, sive uxor ab initio sive ex post se obligaverit. Nam quamvis uxor una cum marito in eodem instrumento se obligaverit,

t) F. CHPH. HARPPRECHT. *Conf. nov. 70. n. 107. Coss. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 21.*



verit, arg. tamen *Authent. si qua mulier. C. ad SC. Vell.* quamdiu causa debiti socialis non probatur, recte præsumitur, pecuniam ad solum maritum tanquam potentio-rem venisse, uxorem vero pro debito mariti proprio intercessisse u). Verum in casu communionis acquæstum inter conjuges non adeo difficilis est hæc probatio; sufficit enim creditorem probare causam crediti, quod nempe pecunia ad usum quendam rei familiaris communem, v. gr. ad ædes comparandas, liberos communes elocandos, a conjugibus mutuo accepta fuerit, imo sufficit, conjuges in instrumto ab ipsis subscripto fateri, quod pecunia in communem ipsorum utilitatem in genere, vel quod in certum quendam & specialiter expressum usum societatis accepta fuerit v), neque ut & versio in rem communem probetur, necesse est; Plane si maritus solus contraxit, nulla finis alicujus socialis mentione facta, dein uxor pro hoc debito se obstringens, illud in utilitatem conjugum communem contractum esse fateatur, dubium non est, qualitatem debiti socialem probatam, ideoque uxorem pro rata acquæstus ad solutionem hujus debiti condemnandam esse w). Uxori tamen omni eo casu, quo creditor ipsam tanquam ex debito sociali pulsata, reprobatio concedenda est; il-

E 3

la

- u) LAUTERBACH. *cit. D. S. 55. Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 173. n. 77. & 114.*
- v) LAUTERBACH. *in cit. D. S. 62. F. CHR. HARPPRECHT. in Resp. 92. n. 326. & Conf. nov. 70. n. 272. SCHOEFF. in thes. ex jure provinc. March. Bado - Badens. th. 10. at tanquam ambigua non sufficere verba in unferer dermaligen Angelegenheit, respondit Facultas in concursu Hessiano mense Oct. 1783.*
- w) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 29.*



la igitur audienda, cum probationem offert, quod creditore sciente pecunia non in communem conjugum utilitatem, sed pro marito solo accepta fuerit, ipsaque coacta tanquam pro debito sociali se obstrinxerit x); idque eo facilius præsumitur, ubi debito, quod maritus solus contraxit, ex post tanquam sociali uxor accedit y). At hoc casu, ubi sc. debitum in causam societatis acceptum esse constat, non obest creditori, quod pecunia a marito ita accepta non in communem utilitatem versa, sed male dissipata aut casu deperdita fuerit, sed mulier hoc non obitante de debito tanquam sociali pro rata sua recte convenitur z), solum tamen postea a marito repetere potest a).

§. XXVII.

Hactenus igitur uxor in societate acquæstum conjugali obligatur 1. ad solvenda debita propria rite contracta, 2. ad dimidiam debitorum socialium, sive a marito, sive ab ipsa, sive ab utroque conjuge contractorum; & 3 ad debita mariti solvenda ex intercessione valide facta. At si plura maritus negligens aut prodigus debita socialia contraxit, eoque concursum creditorum super

x) LAUTERBACH. cit. D. §. 58. §. 67.

y) SCHOEFF. in *Coll. Fac. Tab. Vol. IX. Conf. 17. n. 40.*

z) LAUTERBACH. cit. D. §. 68. F. CHRPH. HARPPRECHT. *Conf. nov. 70. n. 86. fgg.* Male inde agunt, qui acceptionem in communem utilitatem cum versione in eandem confundunt, uti LANG *Von der Gemeinschaft der Güter unter deutschen Ehrenten 7ten Hauptß. §. 25.* nam ut debitum sociale dicatur, sufficit illud in communem utilitatem contrahi, licet postea male dissipetur accepta pecunia.

a) LAUTERBACH. cit. D. §. 69. n. 3.



super illius bonis motum promovit, iniquum sane videretur, si uxor innocens, loco lucri ex acquæstu illi competentis, ex propriis suis bonis creditoribus, qui cum marito contraxerunt, satisfacere deberet. Igitur in plerisque locis, ubi acquæstum societas inter conjuges obtinet, vel sanctione expressa vel consuetudine receptum est, ut mulier, acquæstui conjugali retro renuncians, ab omni ære alieno sociali liberetur, cui solvendo ipsa non expresse se obligavit; id quod insigne jus sub nomine beneficiorum muliebrium, vel renunciationis acquæstus conjugalis, *der weiblichen Freiheiten, des Verzichts der ehlichen Errungenschaft*, quotidie fora nostra perstrepat b). Effectus eorum non alius nisi hic est, ut res in eum, quo ante matrimonium initum fuit, statum reducatur, ut igitur quasi nulla bonorum societate inita, uxor bona sua illata ex concursu super mariti bonis moto repetat, & sicuti nihil lucratur ex bonis durante conjugio acquisitis, ita & ab ære alieno sociali, cui non specialiter ipsa se obstrinxit, liberetur c). Ergo quoad obligationem uxoris ad solvenda debita, impetratis beneficiis muliebribus illa obligata manet 1. ad debita propria, in suam solius utilitatem contracta; 2. ad dimidiam

b) PRÆSES in der teutschen Encyclopaedie 10der Band, voc. Freyheiten.

c) *Coff. Fac. Tub. Vol. I Conf. 48. n. 5. Vol. II. Conf. 47. n. 31. 53. Et 68. Conf. 173. n. 90. Vol V. Conf. 41. n. 31. Vol. VIII Conf. 105 n. 40. SCHOEFFF in Dec. 283. n. 3. Et Dec. nov. 16 n. 38. PERSCHBERGER D. de jure mulieris Francofurtanae secundum statuta patriae § 6 ENGAU cit. D. de bonorum inter conjuges Suevos Et. §. 60. HARPPRECHT, de renunciat. acqu. conjug. n. 1038. sqq.*



diam illorum debitorum socialium, quorum solutionem ipsa expresse promisit d). Attamen mulier, quæ ad beneficium renunciandi acq̄estui conjugali admisa, & ejusmodi debitum sociale cum marito contractum solvere condemnata fuit, solum a marito ejusve heredibus, aut ex massa concursus inter creditores ejusdem simplices repetere potest e). Quamvis enim proprium debitum solvere videatur ex eo, quod ipsa se obligaverit, & quidem in usum cum marito communem, ea tamen per renunciationem acq̄estus eum in statum reducit, ut nunquam in societate fuisse videatur, ut sicuti omni ex ea lucro privatur, ita & quod in utilitatem societatis contractum fuit æs alienum, non in uxoris, sed mariti tantum utilitatem contractum esse videatur, & ipsa creditori ex eo tantum, quod solutionem absque intercessione valide promiserit, ita obligetur, ut adversus eum per renunciationem acq̄estus haud defendatur. Igitur nec eorum sententiæ accedere possumus, qui mulierem, quæ

- d) LAUTERBACH. *cit.* D. de aere al. §. 57. *sq.* *Coff. Fac. Tub.* Vol. II. *Conf.* 47. n. 28. & ST. BROCKES. D. de exigua instrumenti principalem uxoris, minus principalem mariti continentis fide. §. 7. & IO. STIEGLIZ. D. de eo, quod uxores in præjudicium maritorum facere possunt. §. 16. RENZ. D. Jurarei uxoriae ad normam societatis bonorum conjugalis exacta. §. 15. CANZ. *cit.* D. de jurib. & oblig. ux. §. 7. *not. g.* KOCH. *J. resp.* KINGENHEIMER. D. de quaestione: an post hereditatem cum beneficio legis & inventarii aditam quoad debitorum socialium exsolutionem jure Francofurtens. hereditatis renuntiationi adhuc locus sit, nec ne? §. 9.
- e) F. CHRPH. HARPPRECHT. de renunc. acqu. conjug. §. 99. n. 1146. *sq.* LAUTERBACH. *cit.* D. §. 58. n. 8.



quæ debito sociali expresse se obligavit, in subsidium demum, si huic debito solvendo massa haud sufficiat, teneri statuunt f). Aliud omnino dicendum erit, si debitum illud non in societatis, sed in propriam uxoris utilitatem versum fuit; tunc enim quod solvere condemnata fuit, non amplius a marito repetit ff). 3. Ad ea mariti debita solvenda, pro quibus ipsa valide, observatis debitis requisitis intercessit. Econtra liberatur 4. a quibuscunque reliquis debitis socialibus, quorum solutionem ipsa non expresse promisit, & quidem non modo tum, si a marito solo contracta fuerunt, sed & si instrumento debiti, quod creditori maritus dedit, ipsa mere nomen suum subscripsit; Nempe si quod sæpe fit, in instrumento debiti maritus solus nulla uxoris mentione facta se debitorem profitetur, & creditori satisfacere promittit, uxor probata licet qualitate debiti socialis, ex sola subscriptione hujus instrumenti, impetratis beneficiis muliebribus non obligabitur. Plane si uxor ipsa, prout gestio œconomix ipsi concessæ exigit, minutiora debita pro victu & amictu familiarix contrahit, ipsa nisi expresse solutionem de suo promiserit, impetratis beneficiis muliebribus, ad ea solvenda non obligatur, quia hujus generis debita de jure communi soli marito incumbunt, (§. 1.) ipsa vero solum tanquam institrix societatis conjugalis, non proprio nomine hæc debita contraxit g). At a debitis mariti propriis

f) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 30. & 44.*

ff) *F. CHR. HARPPRECHT. resp. 92. n. 328. sqq.*

g) *Contrarium vero plurimi DD. statuunt HARPPRECHT. de renunc. acqu. conjug. §. 95. n. 1075. sq.*



priis sive ante sive post matrimonium, sive durante eo contractis mulier sine omni respectu ad beneficia muliebria, sive iis utatur sive non utatur, immunis est.

§. XXVIII.

Ut igitur creditor ab uxore, quæ beneficiorum muliebrium capax judicatur, aliquid obtinere possit, necesse est, 1. ut debitum, quo de agitur, sit sociale, utque uxor specialiter ejus solutionem promiserit, iisque probatis uxor in solutionem dimidiæ condemnabitur; vel ut 2. uxor rite pro marito intercesserit, aut in suam utilitatem solam debitum contraxerit, quibus casibus eadem integrum debitum solvere compellitur; si vero mariti facultates sufficiunt, uxor debitum sociale, pro quo intercessit, pro dimidia tantum; ex debito mariti autem, pro quo intercessit, nihil solvere obligatur. Quomodo qualitas debiti socialis probeatur, explicavimus (§. 26.); verum & expressa uxoris obligatio seu solutionis promissio probanda est h); non igitur sufficit, probari scientiam & consensum uxoris in contractum, ideoque nec subscriptio instrumenti, in quo maritus debitum confessus est i); imo non sufficit, sicut in rebus œconomicis quotidie fit, uxorem res in communem familiæ usum emtas ipsam emisse & recepisse, nisi ea expresse solutionem promiserit; imo sine hac promissione nil creditorem juvat probatio, quod pecunia ab ipso credita in uxoris & liberorum utilitatem vel plane alimenta impensa fuerit, cum ejusmodi debita jure communi, quod post factam acquæstus renunciationem obtinet, soli marito incumbant.

h) HAUS, *cit. D. §. 44.*

i) SCHOEFFE, *in Dec. nov. 16. n. 32.*

bant k). Promissionem vero vel expressam uxoris obligationem creditor facillime probat per confessionem uxoris judicialem l), aut per instrumentum debiti, in quo ambo conjuges pecuniam se debere profitentur & soluturos esse promittunt, ab utroque conjugue subscriptum, modo uxor, quod in omni instrumento privato juris est, subscriptionem suam recognoscat; sive ceterum uxor statim ab initio contractus, sive ex post demum se obligaverit m); at non sufficit huic probationi subscriptio curatoris in instrumento debiti a marito dati n); neque assertio mariti, quod & uxor sua pro debito se obligaverit o); sicut nec pro uxore probat assertio mariti, quod ipse falso uxoris suæ nomen subscripserit p). Pariter & ille creditor, qui uxorem ex intercessione sua pro marito convenit, non modo intercessionem ipsam, sed & ejus requisita, imprimis præviam beneficiorum renunciatorum explicationem probare debet; quo fine utilis cautela est, ut explicatio hæc coram judice vel notario fiat, ut publico documento probari possit. Denique & ille creditor, qui actionem adversus uxorem institutam in eo fundat, quod pecunia credita in propriam uxoris utilitatem versa fuerit, hoc actionis suæ fundamentum probare debet.

F 2

§. XXIX.

k) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 295. n. 26.*

l) *GAIL libr. 2. obs. 89. n. 5.*

m) *SCHOEFFE. in Coff. Fac. Tub. Vol. IX. Conf. 17. n. 39.*

n) *F. CYPH. HARPPRECHT. Conf. nov. 70. n. 134. Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 29. sqq.*

o) *MEVIUS. part. 7. dec. 235. n. 2. FERD. CYPH. HARPPRECHT. resp. 92. n. 182.*

p) *CHR. FERD. HARPPRECHT. in D. de liquidatione in concursu creditorum per confessionem debitoris § 24.*



§. XXIX.

E contra uxori quoque his in casibus defensio & reprobatio adversus creditorem concedenda est. Igitur non modo, quod in omni instrumento privato juris est, ipsa adversus instrumentum debiti suo nomine subscriptum, si sua manu subscriptum esse negat, ad diffessionem manus suæ juratam admittenda, sed & tam quoad qualitatem debiti socialis, quam quoad obligationem suam & solutionis promissionem, quoad intercessionem ejusque requisita & versionem in rem ipsius & reprobatio & defensiones ipsius audiendæ sunt. Inde cum uxor probat, quod sciente creditore pecunia non in utilitatem conjugum communem, sed in usum mariti solius credita fuerit, quod ipsa contractui contradixerit, & invita instrumentum subscribere coacta fuerit q), vel dolo mariti & creditoris circumventa subscripserit, ipsa primo casu statim, utroque posteriori autem prævia restitutione in integrum absolvenda est r). Ceterum debitum non sociale esse facile præsumitur, quod a marito solo contractum est s); coactio autem vel dolosa persuasio facilius præsumitur, quamprimum debitum non in utilitatem uxoris vel societatis versum fuisse, constat, absentia autem vis & doli in debito sociali præsumitur t); facilius quoque fraus in uxorem commissa præsumitur, si debito, quod maritus solus contraxit, tan-

q) F. CYPH. HARPPRECHT. *Conf. nov.* 70. n. 25.

r) LAUTERBACH. *cit. D.* §. 58. SCHOEPPF. *Dec.* 346. n. 37.

s) *Cof. Fac. Tub. Vol. II. Conf.* 173. n. 39. *sqq.*

t) LAUTERBACH. *cit. D.* §. 57. *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf.* 47. n. 27.



tanquam sociali uxor ex post demum accessit u). Quodsi maritus in causam socialem quidem pecuniam accepit, sed postea inutiliter dissipasse, uxor probat, ea quamvis instrumento delicti subscripserit, non obligatur, si patet, creditori prodigalitatem mariti cognitam fuisse v); sin autem creditor, prodigalitate mariti incius, pecuniam bona fide conjugibus credidit, uxor quæ subscripsit, pro sua parte obligatur w), licet pecunia male dissipata fuerit. Mulieri, ex intercessione sua conventæ, præsent exceptio Scti Vellejani & Avthenticæ; quodsi autem his beneficiis renunciavit, uti potest exceptione non rite factæ renunciationis, velut deficientis curatoris legitime constituti, non factæ beneficiorum renunciatorum explicationis, (quam tamen exceptionem mulier, quæ jam pro alio debito mariti priori intercessit, & tunc beneficiis rite explicatis renunciavit, frustra obmovet;) porro exceptione vis & metus, & doli specialis.

§. XXX.

Ut vero uxor beneficio, renunciandi acquæstui conjugali potiatur, ex regula nullæ solennitates, nulla formalia desiderantur, nisi lex quædam particularis eadem præscribat x), sed sola imploratio uxoris, assistente curatore facta sufficit;

F 3

imo

u) FERD. CHRPH. HARTPRECHT. *in tr. de renunciatione acquæst. conjug.* § 100.

v) LAUTERBACH. *cit. D.* § 67.

w) LAUTERBACH. *cit. l.* § 68.

x) Ita jure Francofurtensi renuntiatio post mariti obitum intra XXX dies coram Sculteto & scabinis fieri debet. PERSCHBERGER. *D. de jure mulieris Francofurt. secundum statuta pairiæ.* §. 6.



imo si femina harum rerum ignara beneficia implorare omisit, de cetero autem creditoribus socialibus ipsam convenientibus contradixit, vel se dote & reliquis illatis contentam declarat, non dubitamus, quin tanquam tacite renunciantem y), ex officio iudex ad illam renunciationem admittere debeat; uti *Facultas Tubingensis* in concursu *Deffneriano* mens Dec. 1780. respondit; invitæ vero nunquam obtrudi posse hoc beneficium, nemo cui sanum sinciput est, dubitabit. Præterea requiritur, ut uxor nulla ratione beneficio hoc indignam, aut ejusdem incapacem se reddiderit. Varijs enim modis hoc fieri potest, vel ita ut uxor obæratæ adversus neminem creditorum beneficio illo se defendere possit; vel ita ut generaliter quidem eodem fruatur, sed in ordine ad hunc vel illum certum creditorem destituatur. In dubio vero semper illud feminae concedendum est, donec illam indignam aut incapacem esse ostendatur z).


§. XXXI.

Non privatur uxor beneficio renunciandi aquæstui conjugali, quando & quia sciens viro nupsit obæratæ a), non privatur ex eo, quod pecunia creditoris in usum & alimenta uxoris & liberorum versa fuerit, quum alere liberos & uxorem sit
onus

y) *HARPPRECHT cit. tr. §. 18. n. 227. Et 252.*

z) *Cof. Fac. Tub. Vol. I. Cons. 48. n. 6. Cons. 132. n. 48. CANZ. cit. D. de juribus Et. §. 1.*


a) *MENKEN D. de usufructu mariti ad inopiam redacti in bonis uxoris § 27. HORN. in responfor. class. XIII. n. 2. Dissentit WALCH. in D. de discrimine bonorum uxoriorem jure Roslochiensi sublato §. 14.*



onus mariti, ideoque debita hoc sine contracta a marito solvenda sint b); imo licet pluribus creditoribus expresse se obligaverit, adversus reliquos tamen beneficium renunciandi acquæstui conjugali uxor recte implorat; imo nec admissionem beneficiorum impedit, quod una cum marito delictum licet atrox commiserit. Decantata autem inter praticos regula est, quod uxor, quæ sua prodigalitate, ignavia & luxu inopiæ mariti causa & occasio fuit, beneficio renunciandi acquæstui conjugali indigna, adeoque id ipsi abjudicandum sit c); Verum cum in dubio beneficium illud concedendum sit mulieri, creditores ei contradicentes prodigalitem uxoris probent, necesse est d): & quidem non sufficit, prodigalitem in genere probari, sed actus plures speciales, ex quibus prodigalitas patet, probandi sunt, velut quod vestibus pretiosis, commestationibus, bibendo, ludendo, donationibus inutilibus, & negligentis rei familiaris administratione æque vel magis ac maritus facultates conjugum dissipaverit e).

§. XXXII.

- b) *Cofs. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 295. n. 6.*
- c) WIEGER. *D. de jure praelat. cred. §. 16. p. 45.* LAUTERBACH. *cit. D. de aere alien. §. 71. Cofs. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 47. n. 5.* RICHTER. *D. de legal. dot. hypoth. §. 32.* STRECKER. *progr. ad GLOCKII. D. de jure competentiae nobilibus non compet. p. 5.* CANZ. *cit. D. §. 1. & 8.* WALCH. *cit. §. 14.*
- d) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 127. n. 22.* STRECKER. *cit. progr. pag. 6.*
- e) *Cofs. Fac. Tub. Vol. VIII. Conf. 62. n. 26. Conf. 64. n. 34. Conf. 94. n. 96.*



§. XXXII.

Quisnam vero effectus sit denegati ex hac causa feminæ beneficii, renunciandi acq̄æstui conjugali, maxime dubium esse videtur f). Potissimum jus provinciale nostrum eum agnoscere videtur, quod uxor jure repetendi illata sua destituatur g) at solide jam pluribus argumentis docuit B. CANZIUS h) non ita nude & crude textum accipiendum esse, sed eo tantum ejus mentem redire, quod uxor illis vitiis & culpis contaminata, quia pluribus creditoribus ut pro rata satisfaciatur obligatur, non simpliciter omnia illata, sed tantum deductis iis repetat, quibus solvendis ipsa ob prodigalitatē suam obstringitur; argumentis, quibus Vir. B. nuda verba principiis & analogiæ juris adversari probat, unicum hoc ex ejusdem §. 15. addō, quod dene-

f) Sed lucem maximam huic quæstioni dedit. B. DD. CANZ. in sæpius laudata D. de jurib. & obl. uxor.

g) part. 2. tit. 76. § nicht weniger. pag. 219. ubi: Nicht weniger sollen auch von solcher Cession ausgenommen und befreyet seyn des abtretenden Schuldners Hausfrauen Kleider, Kleinoden, und was zu ihrem Leib gehört, auch ihr zugebracht Heuratguth, Morgengab, und was sonst mehr von ihr herkommen, so fern sie anderst an ihres Manns Verderben unschuldig, welches wir zu unserer Amtleute und Gericht Erkenntniß stellen, & ita etiam Jcti nostri passim loquuntur. cfr. Cofs. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 20. n. 3. Conf. 47. n. 7. Vol. III. Conf. 295. n. 20. sqq. Vol. V. Conf. 41. n. 33.


h) cit. D. §. 16. & F. C. H. P. H. HARPPRECHT. Conf. Tub. 60. n. 201. sq.

denegata mulieri illatorum repetitione jura creditorum invicem quæsitâ injuste læderentur; pone enim creditorem socialem, cui ex illatis uxoris commode satisfieri pro rata uxoris posset, ideo omni suo credito excidere, quod uxori repetitione illatorum denegata, creditum totum inter debita mariti locatum fuerit? Sane hoc salva justitia fieri posse, nemo statuet. Igitur sicut beneficia muliebria consistunt in facultate, per renunciationem acquæsitus conjugalis a solutione debitorum socialium se liberandi, ita & denegatio eorundem non potest alius effectus esse, quam ut uxor, tanquam durante societate conjugali, omnium debitorum socialium ratam solve- re debeat, e contra ex his, quæ durante matrimonio societati quæsitâ sunt, suam dimidiam vindicet, & quæ ex suis aut mariti allatis constante matrimo- nio in utilitatem societatis alienata & amissa sunt, eorum tanquam com- munis damni conjugalis dimidiam sibi deduci patiat; utque ea, quæ tanquam focia conjux solvere condemnata fuit, a marito repetere non amplius pos- sit. (cfr. § 27) Ceterum illata sua, æque ac in casu concessi beneficii re- petit, a solutione debitorum a marito in propriam utilitatem contracto- rum adhuc immunis est, nisi illa in rem communem familiarem versa, vel & ab uxore dissipata fuisse constat i); at sicuti ea bonorum constante matrimonio quæsiturum dimidiam petere potest, ita & debitorum sociali- um, sive ea maritus solus, sive uterque conjux contraxerit, dimidiam sol- vit, nunquam vero nisi ex valida intercessione in solidum obligatur, & quoad bona conjugum dissipata dimidiam damni ferre debet.

§. XXXIII.

Uti beneficia in sui favorem introducta nemini obtruduntur, ita & expediti juris est, quod uxor obæratâ, beneficiorum muliebrum licet digna, iisdem ex libera voluntate renunciare vel expresse vel tacite possit, idque vel erga omnes, vel (de quo post) erga unum alterumve creditorem; neque creditores uxoris, qui & impetratis beneficiis muliebribus actio- nem fundatam habent & efficacem, jus contradicendi habent, licet propter renunciationem beneficiorum plene iis satisfieri ab uxore nequeat, cum uxor non alienet, sed tantum beneficio, in sui solius favorem concessio non

- i) Ita residuum ex administratione rei alienæ est debitum mariti pro- prium; adeoque uxor, denegatis licet beneficiis muliebribus ad ejus partem solvendam non obligatur, *Coff. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 132. n. 45.* LAUTERBACH, *cit. D. §. 48.* verum obligatur, si vel pecunia interversa in rem familiæ communem versa, *cit. Conf. 132. n. 47.* CANZ, *cit. D. § 19. not. a.* vel ab uxore sola aut simul cum marito dissipata fuit, LAUTERBACH, *cit. D. § 65. n. 3. 199.*



non utatur k). Renunciatio beneficiorum generalis expresse fit, cum mulier voluntatem, beneficiis suis non utendi, omniumque debitorum socialium ratam solvendi declarat, cui libera voluntas, cum curatore declarata sola sufficit; aliud enim dicendum foret, si mulier integra debita socialia, si & debita mariti propria solvere promitteret; hoc enim casu quia intercederet, plura adhuc ut valide id fiat, necessaria forent; (§ 3. & 4.) Tacite idem fit, si mulier beneficia muliebria implorare omittit, si fatalia lege provinciali præscripta negligit, neque creditoribus socialibus, ratam ab ipsa exigentibus contradicit. Vel quando inventarium hereditatis, in quo dimidia damni socialis ipsi adscripta est, subscribit l). A creditore asserente hanc renunciacionem probandam esse, non opus est monere; verum solennia in hac renunciacione non desiderantur, sed declaratio ex libera voluntate facta sufficit; neque verum est, quod eadem intercessionem contineat pro marito m) ideoque intercessionis requisita desideret; nam per illam uxor proprium tantum debitum constituit. Effectus renunciatorum beneficiorum muliebrium in hoc casu idem, qui in priori erit, nisi uxor expressæ suæ renunciacioni aliquam, quod potest, restrictionem addiderit, vel quoad certum tantum effectum renunciaverit; omnis enim renunciatio strictæ interpretationis est. Pariter declaratio uxoris sub conditione facta, v. gr. quod omnibus creditoribus, si dimidiam, tertiam crediti remitterent, satisfacere veli, conditione non existente mulieri haud nocet n). At si pure mulier beneficiis renunciavit, idque creditores acceptarunt, non amplius ad illa redire; & si illa impetravit, non nisi consentientibus omnibus quorum interest, renunciare potest o).

§. XXXIV.

Uxorem porro beneficiis muliebribus plane destitui statuunt, quando mercatrix, & cum marito in societate mercatoria constituta est; eamque, nullo habito ad curatorem respectu ad omnia & sua & mariti debita solvenda obligari; verum uti multis & arduis limitationibus hanc sententiam practicum subjectam esse, & in Würtembergia non obtinere, jam supra § 13 ex licuimus, ita quod ad communionem aequa suum inter conjuges obtinentem, societas inter eosdem mercatoria alium effectum habere vix

k) arg l. 6. vr. § 1. Et 3. D. de his, quæ in fraud. cred. Ita PRÆSES respondit MÜLLHUSAM mens. Jul. 1783.

l) SCHOEFFER in *Coff. Fac. Tub. Vol. VIII. Conf. 105. n. 57.*

m) Uti falso statuit F. CHR. HARPPRECHT. *Resp. 92. n. 271.*

n) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 294. n. 33.*

o) LAUTERBACH. *cit. D. §. 73.*



vix poterit . quam eum , ut mulier , quæ socia mercatrix est , tanquam talis pro rata sua p) de omnibus illis debitis conveniri possit , quæ maritus tanquam infitor societatis in causam societatis mercatorie contraxit , & contra ejus generis debita nil ipsam juvet beneficiorum muliebrium imploratio , quum uxoris obligatio ad eadem solvenda non ex communiione bonorum conjugali , sed ex natura contractæ societatis mercatorie derivanda sit . At quoad alia debita socialia , a marito solo contracta , quæ mercaturam non attinent , uxor beneficio renunciandi privari non potest q) , multo minus de debitis mariti propriis , mercaturam non spectantibus obligatur r) .

§. XXXV.

Uterius beneficia muliebria amitti statuunt , (quando uxor , licet ceterum illis digna hereditatem mariti adit s) , aut pro herede se gerit ; at si dicendum , quod res est , hereditatis aditionis effectus non est nec esse potest privatio beneficiorum muliebrium , vel obligatio uxoris ad solvendam suam debitorum socialium ratam ; sed quod in omnia jura & obligationes defuncti mariti intret , adeoque ejus debita , quatenus ad heredes transeunt , sive propria siue socialia solvere debeat . At & hic duplex limitatio necessaria ; altera est , quod uxor , quæ alios coheredes habet , de debitis mariti pro rata tantum sua hereditaria , non de integris debitis obligetur t) ; altera quod uxor , quæ cum beneficio inventarii hereditatem mariti adit , tanquam heres non ulterius debita mariti solvere obligetur , quam quousque vires hereditatis sufficiunt u) ; quibus addè , quod illa de debitis mariti , quæ ad heredes non transeunt , velut ex delicto , non obligetur . Creditor autem , qui uxorem obæratam tanquam heredem convenit , probare debet , quod uxor hereditatem mariti adierit , aut pro herede se gesserit , quæ probatio sæpe difficillima , cum

G 2

ex

- p) Non in solidum , uti statuit Ayrer , in *D. de societate mariti & uxoris merc.* § 18.
 q) *Coff. Fac. Tub. Vol. V. Conf. 23. n. 24.*
 r) GAIL. *libr. 2. obs. 90. n. 6.* RICHTER. *de legal. dot. hyp.* § 32.
 s) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 294. n. 23.* LAUTERBACH. *cit. D. §. 72.* F. CHRPH. HARPPRECHT. *tr. de renunciat. acquæst. conjug.* §. 142. ENGAU. *D. de bonorum inter conjug. Suevos commun.* §. 60. not. xx. SCHOEPPF. in *Coff. Fac. Tub. Vol. VIII. Conf. 105. n. 49.*
 t) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf. 110. n. 5. & 6.*
 u) KOCH. *f. resp. KINGENHEIMER. D. de questione: an post hereditatem cum beneficio legis & inventarii aditam quoad debitorum socialium exsolutionem jure Francofurtens. hereditatis renuntiationi adhuc locus sit , nec ne?* § 4.



ex ejusmodi actibus, qui aditionem inferre vel non inferre possunt, non præsumatur aditio, sed conjectura illam excludens præferatur v); inde cum uxor bona mariti jure retentonis pro dote aliisque illatis possidere & inde fructus percipere possit w), ex hac possessione & fructuum perceptione animus adeundæ hereditatis nondum colligitur x); ita & inventarii confectio sæpius eo fine suscipitur, ut heres, antequam adeat, vires hereditatis perscrutetur, ideoque tanquam actus dubius hereditatis acquisitionem non infert y); si plane uxor res mariti vendit, vel debita hereditaria solvit, nec inde aditio colligitur, quia & venditio illa & solutio citra animum heredis fieri potest z); inprimis si facta fuerit præcedente jussu magistratus, & prævia protestatione & jurium suorum reservatione a).

Præterea notandum, quod in his terris uxor, quæ absque curatore hereditatem mariti adit, aditionem tanquam nullam impugnare b), interdum & ea, quæ sexus fragilitate lapsa hereditatem mariti adit, adversus factam aditionem restitutionem in integrum petere possit c).

§. XXXVI.

Denique mulierem beneficiorum muliebrum incapax sunt qui judicant, quæ ex bonis massæ obæratæ mariti aliquid celat, surripit, amovet d); expressa lege hæc opinio haud nititur, sed ex argumento legis 71 §. 4. *D. de acquir. vel omitt. hered.* desumpta est, ubi ita Ulpianus: *si quis suus se dicit hereditatem retinere nolle, aliquid autem ex hereditate amoverit, abstinendi beneficium non habebit*; Loquitur ergo lex de suo herede, qui in pœnam factæ amotionis rerum hereditariarum privatur arduo

v) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 295. n. 27. sqq.*

w) LAUTERBACH. *D. de jure retent. th. 10. sqq.* FERD. CHRPH. HARPPRECHT. *Resp. 92. n. 252.* PRÆSES. *in f. Ordnung der Glaubiger. cap. 3. §. 5. pag. 193.*

x) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 294. n. 29.* HARPPRECHT. *Resp. 92. n. 252.*

y) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 295. n. 27. sqq.*

z) *Coff. Fac. Tub. Vol. III. Conf. 294. n. 30.* HARPPRECHT. *cit. resp. 92. n. 257. sqq.*

a) *cit. Conf. 295. n. 29. §§ Vol. V. Conf. 23. n. 31.*

b) *Coff. Fac. Tub. Vol. V. Conf. 23. n. 34.*

c) *cit. Conf. 23. n. 35.*

d) LAUTERBACH. *cit. D. §. 71. n. 8. Coff. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 48. n. 7.* FERD. CHRPH. HARPPRECHT. *in tr. de renunciat. atquaest. conjugal. th. 138. sq.*




arduo illo liberis beneficio abstinendi; igitur, quod primo loco monendum est, male sanctio legis cujusdam poenalis a casu sui heredis amoven-
tis ad casum uxoris ex massa mariti obærari aliquid surripientis plane
diversum extenditur, & qui thesin illam consuetudine receptam asserit,
probare debet; ubi vero consuetudo hæc recepta probatur, in ejus inter-
pretatione quam maxime restrictive procedendum est; inde cum textus
legis de hereditate loquatur, quæ viventis non est, consuetudo illa non
aliter obtinere potest, quam si mortuo marito concursus creditorum super
ejus bonis oritur, & ex massa concursus uxor aliquid amovet; unde JCti
de hac consuetudine testantes de vidua tantum ex bonis ad domum mor-
tuariam spectantibus aliquid amovente loquuntur; Supponit quoque lex
amotionem rei hereditariæ, ad hereditatem pertinentis; inde sicut heres
suus, qui ex hereditate paterna res non hereditarias, sed sibi proprias
amovet, ideo a beneficio abstinendi non excluditur, ita & uxor, quæ ex
massa obærata res sibi proprias, quas jure separationis vindicare potest,
surripit, nunquam privatione beneficiorum muliebrum punienda e); ex
hoc enim facto amotionis rerum propriarum neque dolus, neque renun-
tatio beneficiorum muliebrum, neque aditio hereditatis colligi potest.
Denique sanctio hujus legis poenalis dolus heredis amoventis supponit f),
unde & uxor, quæ absque dolo aliquid ex massa concursus sumit, nun-
quam privatione beneficiorum punietur g); & ex eadem ratione consen-
tientes nos non habebunt, qui amotionem rei etiam minimæ huic priva-
tioni sufficere statuunt h). Porro sicuti suus heres, qui declarata jam
abstentione ab hereditate paterna, ex eadem aliquid surripit, non amplius
beneficio abstinendi privatur, sed potius furti tenetur i), ita & mulier,
quæ post petitam jam ad beneficia muliebria admissionem & declaratam he-
reditatis repudiationem aliquid ex massa amovet, ideo beneficiis suis
nunquam privatur; denique & nuda rerum mariti vel ad acquæstum
pertinentium contrectatio ad statuendam hanc privationem nunquam suffi-
cit, sed clandestina amotio, vel fraudulenta surreptio requiritur. Igitur
ubi illa consuetudo obtinet, privatio tamen beneficiorum muliebrum
aliter statui non poterit, quam si 1. super bonis mariti jam mortui con-
cursus excitatur; 2. mulier ex bonis mariti vel ad acquæstum pertinen-
tibus,

G 3

e) *Coff. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 132. n. 53.*f) BRUNNEMANN, ad l. 71. §. 5. /qq. *D. de acquir. vel omitt. her.*g) arg. l. 51. pr. *D. pro socio. Coff. Fac. Tub. Vol. I. Conf. 48. n. 8.*

h) inter quos HARPPRECHT, in cit. tract. de renunc. acqu. conj. n. 1486.

i) l. 71. § ult. *D. de acquir. vel omitt. hered.* ibique BRUNNEMANN, n. 2.



tibus, 3. dolose 4. ante factam acquisitionem conjugalis expressam renunciationem, 5. rem alicujus momenti 6. amoverit vel furrpuerit. Requisitum tertium, quintum & sextum creditor probabit, mulier vero excipiens rem amotam vel surreptam sibi propriam fuisse, vel se jam antea acquisitioni conjugali renunciante, fundamentum exceptionis suae probare debet. Quod ad effectum denegatorum ex hac causa beneficiorum muliebrium, si cum Practicis denegationem illam pro poena amotionis vel pro tacita renunciatione, in quo sibi non constant, declaramus, non alius erit, quam is, quem §. XXXII. explicavimus.

§. XXXVII.

Sunt porro aliqui casus, in quibus uxor non in totum, sed respectu tantum ad certos creditores habito, beneficiis muliebribus, quorum de cetero capax judicatur, uti non potest. Id fit I. quando mulier in ejus favorem, qui marito in causam socialem credidit, beneficiis muliebribus ex libera voluntate renunciat, sive id fiat tempore contractus, sive postea & moto demum concursu; modo antequam mulier renunciaret, ei beneficia renuncianda rite explicentur, eaque in locis, ubi feminae absque curatore valide nil agunt, curatorem adhibeat; quibus observatis licet adversus reliquos creditores sociales beneficiis suis utatur, adversus hunc tamen iisdem uti non potest. II. Quando mulier eum, qui in causam socialem marito credit, dolosis persuasionibus eo, ut crederet, adigit k); at puto, hoc in casu mulierem non tam beneficiis suis adversus creditorem defraudatum privari, quam potius creditori propter dolum obligatum esse, & si ex bonis mariti non satisfiat, actione de dolo non tantum ad ratam suam, sed ad integrum debitum solvendum a creditore pulsari posse.

§. XXXVIII.

Hisce omnibus, quæ pro spatii penuria breviter delineavimus, at alio forsitan tempore ulteriori discussioni subjiciemus, aliquas tantum ademus observationes. I. Omnia, quæ de obligatione uxoris diximus, etiam in ejus heredibus regulariter obtinent; igitur ubi mulier ad solvendum aliquod debitum, vel totum, vel pro rata obligata est, ibi reg. & heredes mulieris; ubi mulier a solutione absolvenda est, ibi & mulieris defunctæ heredes; tantum si obligatio mulieris talis est, quæ ad heredes non transit, velut obligatio ex delicto; vel si obligatio mulieris invalida ipsam tantum propter juramentum accedens stringit, (§. 4.) heredes non obligantur. Ceterum

k) HESER. de acquæst. conjug. pgrt. 2. loc. 23. n. 443. 199.

Ceterum heredes uxoris, siue sint liberi siue extranei, ex persona defunctæ beneficia muliebria recte implorant, dummodo defuncta capax illorum fuerit l); plane in heredibus uxoris expressam declarationem qua beneficia implorantur, non requirunt, sed ut ab acquæstu abstineant, sufficere dicunt m). Denique notamus, contradictoris in concursu creditorum constituti officium præcipue quoque in eo versari, ut creditores, quibus femina vel in totum vel pro parte satisfacere obligatur, a concursu repelli, ad uxorem obarati remitti & beneficia muliebria, quoties iusta causa adest, uxori denegari, faciat petatque; quia quotiescunque uxor aliquod debitum totum vel pro parte suscipere obligatur, massa bonorum obarati onere aliquo subleuatur, quod ut fiat, præcipua contradictoris cura esse debet. Ceterum & ipsi creditores singuli sæpius cum uxore super ejus obligatione ad satisfaciendum litigant, ubi si res clara & liquida, & litigantes submiserunt ad sententiam, per sententiam classificatoriam simul his inter creditorem & uxorem obarati deciditur. & debita uxoris statim ab ejus illatis deducuntur, ut ejus creditoribus satisfiat n); econtra si obligatio vel liberatio uxoris illiquida, litigantes in separato jura sua deducere jubentur.

§. XXXIX.

Ceterum ex deductis patet, fieri posse, ut salvo marito super bonis solius uxoris concursus creditorum oriatur; ponamus nempe uxorem, quæ bona valde obarata matrimonio infert; ejusdem bona incendiis, bello & vi naturæ devastari, vel ab aliis evinci, nomina illata inania fieri, eandem & durante matrimonio prodigaliter vivere, plurimis debitis socialibus expresse se obligare, inprimis etiam ob crimina perpetrata graviores multas incurrere, processum criminalem sustinere, & satisfactionis privatæ præstationi se obstringere; ita facile eveniet, ut bona uxoris debitis ejusdem solvendis non amplius sufficiant, ideoque marito, solutionem debitorum uxoris denegante, processus concursus creditorum super bonis uxoris solius decerni debeat. Quo casu in locis, ubi acquæstum communio obtinet,

- l) HARPPRECHT. *de renunc. acqu. conj.* §. 42. n. 498. *sqq.* LAUTERBACH. *D. de aere alien. &c.* §. 73. SCHOEPPF. *Dec. nov.* 16. n. 39.
m) *Coff. Fac. Tub. Vol. II. Conf.* 27. n. 8. HARPPRECHT. *in tr. de renunc. acquæst. conjug.* §. 21. n. 283 *sq.*
n) Ita sine dubio *jur. prov. Würt. part. I. tit. 76. § nicht weniger. pag. 276.* & Jcti, qui denegatis beneficiis muliebribus illata repeti non posse statuunt, intelligendi F. CHRPH. HARPPRECHT. *Conf. Tub.* 60. n. 200. *& de renunc. acqu. conjug. n. 1174. sqq.*



tinet, imprimis quæstio oritur, an & marito ad analogiam beneficiorum muliebrium concedenda sit renunciatio acquæstus conjugalis? Eam ego negandam esse puto; nam præterea, quod & lex & consuetudo desit o), mulieri beneficia conceduntur, quia maritus tanquam caput societatis conjugalis solus debita socialia quæcunque contrahere potest, quæ & uxorem innocentem onerant p); at uxor talia nunquam, nisi leviora circa res ad sustentationem familiæ pertinentes ita contrahere potest, ut & maritum onerent, & facilius marito, cui imperium domesticum & ius castigandi competit, media suppetunt, prodigis uxoris moribus limites ponendi, quam vice versa uxori, nec unquam ob omni culpa immunis erit maritus, cujus uxor nimis negligenter & prodigaliter res œconomicas tractat. Igitur in hoc concursu ex bonis uxoris illatis ejusdem debita propria, & socialium, sive a marito, sive ab uxore sive ab utroque contractorum rata, solvenda; socialium vero reliqua pars ad maritum remittenda erit. Tantum si per negotiationem aliquam uxor multa debita socialia contraxit, maritus autem dissensum super ea negotiatione interpositum probare potest, vel uxor modum in expensis iustum, manifesto nimium excedit, tum merito maritus, pro religioso judicantis arbitrio ab ejusmodi debitis per renunciationem acquæstus conjugalis liberatur q).

§. XL.

Denique & fieri potest, neque raro fit, ut super mariti & uxoris bonis simul processus concursus oriatur, cum scilicet uterque conjux tot tantaque debita contraxit, ut nec mariti facultates debitis ipsius, nec uxoris facultates æri alieno quod uxori incumbit, solvendo sufficiant. Præcipuum, quod hoc in casu observari oportet, hoc est, ut non omnia bona uni massæ inferantur, omneque conjugum æs alienum invicem miscetur, quum hoc modo non posset non fieri, ut vel uxoris vel mariti creditoribus præjudicium fieret. Sed uxoris illata, quæ ipsius massam concursus constituunt, in concursu mariti suo ordine locanda, creditores mariti & creditores uxoris accurate invicem separandi, & singulis in diversis illis concursibus loca sua congrua assignanda sunt.

- o) CANZ. *cit. D. de jurib. Et obl. uxor.* § 7. *not. b.*
 p) F. CHRPH. HARPPRECHT. *tr. de renunc. acquæst. conjug.* § II. n. 120. *sq.* Probatio aliqua latet in ipso nomine beneficiorum muliebrium. Dissentit LANGE *von Gemeinschaft der Güter unter den deutschen Eheleuten 9tes Hauptst.* § 8. p. 288.
 q) HARPPRECHT, *cit. tr.* § 24. n. 322. *sq.* LAUTERBACH. *cit. D.* § 74. n. II. *sqq.*

Tübingen, Diss., 1783/88

VD18

ULB Halle

3

004 506 073



f5b





P. 393

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
DE
OBLIGATIONE UXORIS
AD
SOLVENDA DEBITA
A
CONJUGIBUS CONTRACTA,
MOTO INPRIMIS SUPER BONIS MARITI
CONCURSU CREDITORUM.

1785, 1.

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE ET DOMINO
N O

O L O
TECCIÆ REGNANTE,
EL.
URISCONSULTORUM ORDINE
I D E
LIEB GMELIN,
RENISSIMI CONSILIARIO,
LICO ORDINARIO
RITE OBTINENDO
OCCLXXXV.
NI SUBMITTIT
RICUS SCHMID,
GENSIS AB EPISTOLIS.
S REISSIANIS.

